

sonam absconditam vt dictum est lib. 2. cap. 3.

Caveat à superstitionibus. 1. ne radat capillos obsessi, vt dæmon exeat. 2. ne vtatur cum eo terminis iudicialiis. 3. ne reddat se suspectum de superstitione, vt si laicus, aut clericus habens primam tonsuram exorcizandi munus quasi ex officio, aut peculiari Dei privilegio sibi vsurpet. 4. si plus virtutis sibi arroget ad liberandos obsessos, quam cæteris eiusdem ordinis. 5. Si peculiaribus exorcizandi formulis vtatur. 6. si vobis ignotis vtatur, quas solis dæmoniacis ad aures dicit.

Non autem reddit suspectum superstitionis permittere aliquid dæmoni egressato, modo non sit contra Dei gloriam, aut proximi vtilitatem, ac proinde si petat non relegari in infernum, vel in desertum locum, vel non cruciari nouis malis concedi potest, vt facilius relinquat energumenum. Illicitum tamen est ei annuere volenti transire in alium hominem regulariter loquendo. Thyraeus de dæmoniacis c. vlt. n. 1. vsque ad 8.

Non possunt adiurari creaturæ irrationales vt tempestates, locustæ, &c. directè, quasi ipsæ se moueant, & operentur mala, At indirectè prout mouentur à Deo, vel à dæmone possunt adiurari adiuratione mixta ex deprecatiua respectu Dei, & imperatiua respectu dæmonis. Adiurare directè si ex leuitate fiat, non animo ridiculos faciendi exorcismos Ecclesiæ, est peccatum veniale: si autem adsit contemptus, est peccatum mortale. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 8. p. 2. ad finem.

Dæmonum exorcismi dupliciter exercentur in Ecclesia, scilicet ad cohibendum eos, ne impediunt baptismi receptionem, & tunc semper habent suam efficaciam. 2. ad expellendos eos ab energumenis, tunc non semper sunt efficaces, licet in primitiua Ecclesia maiorem haberent efficaciam ad confirmationem fidei.

Potestas ergo exorcizandi non fundatur in sanctitate ministri, etsi ea non parum iuuat, sed innititur diuini nominis inuocationi, fidei, & sanctitati Ecclesiæ, cuius minister personam gerit. Propterea exorcismi habent vim non ex solo opere operantis, sed ex opere operato. Impeditur tamen sæpè huiusmodi effectus vel ob modicam ministri fidem, vel quia non est infallibilis, sed ex congruitate quadam. Hinc illud Matth. vlt. *In nomine meo dæmonia eiciunt.* Significat solum id quandoque esse futurum, quando sic expediet. Non enim ob solam incredulitatem aut alia peccata aliquando obsessi non liberantur: sed etiam occulso Dei iudicio, vt ad diuinum auxilium à